

suspectas habuere res, & sententias. Totam rem enarravit Sur-  
 rius, in Comm. ad A. c. 15 LVI. p. 491. quem hic nihil finxisse,  
 aut ex falsis rumoribus, erat enim, iudice ipsomet Langletio,  
 nimis credulus, scripsisse, aliorum facile persuadent testimo-  
 nia, idem confirmantia. *Ex ipsis, inquit, familiaribus eius, de e-  
 ius doctrina quidam dubitare coeperunt. Ex iis facile Principem ad se  
 vocat, cui alioquin plurimum consideret. Nec sine stomacho ex illis per-  
 contatur, cur de re certissima dubitare voluerit; an non credat se ve-  
 rum esse illum Davidem a Deo missum, ut bis extremis temporibus re-  
 gnum Israeliticum restituat, Iacobique tabernaculum instauret? Sed post  
 multam disputationem ille mansit in sententia, & a Davide illo fertur  
 abalienatus, monuisse etiam permultos, ut a perniciosissima secta disce-  
 derent.* Plures circumstantias affert Wigandus, de Anab. p. 545.  
 Uterque virum non nominat, qui forsan nemo alius fuit, quam  
**NICOLAUS BLESDIKIUS**. Nam hunc iam ante Davidis mortem  
 indigne eius tulisse sententias, auctor est Arnoldus, in H. E. &  
 H. P. II. L. XVI. c. XXI. p. 287. Non tamen existimo secessio-  
 nem illum, quod Arnoldus profiteretur, iamdum fecisse, si qui-  
 dem eius nomen inter reliquos affectas, qui post Danielis o-  
 bitum, in carcerem missi sunt, legitur, apud Ottium, in Annal.  
 p. 132. Est autem eo notabilior huius viri retractatio, quo pro-  
 piores cognatione Davidem attingebat. Habebat namque eius  
 filiam in matrimonio. Neque tantum ingenue circumventum  
 se esse agnovit, sed libro etiam peculiari, quem falso alii, apud  
 Arnoldum, pro supposititio habent, soceri historiam complexus  
 est. Si Seileri, Arnoldo laudati, narrationibus habenda fides, Bles-  
 dickius de hinc in Palatinatu ministrum Ecclesiae reforma-  
 tum egit.

§. XVI. **MICHAEL BRELLERVS**, gente Francus, arte medi-  
 cus, fuit. Hunc minime omnium Fanaticis annumeramus, ob  
 Apologiam, quam pro Io. Arndtio, eiusque, de Vero Christia-  
 nismo, libris, dedit. Ecquis enim adeo rerum rudis est Theo-  
 logicarum, qui ignoret, Varenios, Dorschaeos, aliosque, in mul-  
 tis Arndtii excusasse libros, & saniori doctrinae conformiter in-  
 terpretatos esse. Io. Affelmannus, Varenio in Confid. Admon.  
 Rostii p. 3. teste, ita censuit: *Phrases B. Arndi partim probo, par-*

*tim*